

16 328

DE

**EUTHANASIA MEDICA.**

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
QUAM  
AUCTORITATE AMPLISSIMI ORDINIS  
MEDICORUM

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

*RITE ASSEQUATUR.*

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**IULIUS STUBENDORFF**

LIVONUS.



— — Süßes Leben! schöne freundliche Gewohnheit  
des Daseyns und Wirkens! von dir soll ich scheiden!

Egmont.

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS J. C. SCHUENMANNI,  
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXXVI.

1836

Tartu  
Raamatukogu  
57 415

**I M P R I M A T U R**

haec dissertatio, ea tamen conditione, ut, simulac typis fuerit excussa, quinque ejus exempla collegio libris explorandis constituto tradantur.

Dorpati Liv. die XVIII. m. Februarii 1836.

Dr. P. U. WALTER,  
Ord. Med. h. t. Decanus.

**PAULO HENR. DE FUSS,**

A CONSILII PUBLICIS, ACADEMIAE CAESAREAE  
DOCTRINARUM PETROPOLITANAE PERPETUO A  
SECRETIS, ETC. ETC. ETC.

**OTT. B. ROSENBERGER,**

A CONSILII COLLEGIORUM, GYMNASII DORPATENSIS  
ATQUE SCHOLARUM PER ESTHONICAM LIVONIAE  
PARTEM DIRECTORI, ETC. ETC. ETC.

**CAR. STUBENDORFF,**

THEOLOGIAE CANDIDATO,

2  
Tertu Pihlaku Ulikosli  
Koomarakogu

463 452

## P r a e f a t i o.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Non dubito, fore plerosque, qui hujus libelli titulum inspicientes, rem a me susceptam esse credant, tironis vires superantem, quippe quae provectionis sit aetatis atque experientia abundantis. Sed cujusnam vita, quaeso, tam fuerit placida, ut quamvis sexagesimum nondum attigerit annum, euthanasiae medicae, quam tractaturi sumus, praestantiam atque necessitatem, non bene intellexerit? Quis maxime medicus, etsi tiro, non expertus sit, hanc artis nostrae partem a veteribus relictam, a recentioribus neutiquam expletam esse? Ille enim, qui et pater celebratur artis medendi et princeps, Hippocrates Coss (1, pag. 8) medicinam ita definit, ut dicat: eam aegrotantium labores depellere morborumque vehementias tollere, morbo autem devictis manus non admovere, quum bene sciant ejus periti, non tantum valere artem medicam. — At ars nostra cum genere humano, temporum decursu, adolevit, ita ut homines aegrotantes usque ad vitae finem constanter comitetur

neque eos deserat, etsi symptomata summae malignitatis speciem prae se ferre videantur. Etenim artis recentioris humanitas jubet, quando remedia afferre jam nihil expediat, tamen levamina suppeditari, ut aegri vita cum diutissime producat, tum a doloribus liberrima efficiatur.

Ille enim verae et rectae viae in multis rebus dux insignis, Baco de Verulamio (2, IV, c. 2) primus erat, qui legem nostram tulit, quae inter desideria enumeravit, ut haec scientiae pars latius excolatur et tractetur; ipsique nomen Euthanasiae dedit. „Etiam plane censeo, inquit, ad officium medici pertinere non tantum, ut sanitatem restituat, verum etiam, ut dolores et cruciatus mitiget. Neque id ipsum solummodo, cum illa mitigatio doloris, veluti symptomatis periculosi, ad convalescentiam faciat et conducat; imo vero cum abjecta prorsus omni sanitatis spe, excessum tantum praebcat e vita magis lenem et placidam. Si quidem non parva est felicitatis pars (quam sibi tantopere precari solebat Augustus Caesar) illa Euthanasia, quae etiam observata est in excessu Antonii Pii, quando non tam mori videretur, quam dulci et alto sopore excipi. — At nostris temporibus medicis quasi religio est, aegrotis, postquam deplorati sint assidere; ubi meo iudicio, si officio suo atque adeo humanitati ipsi deesse nolint, et artem ediscere et diligentiam praestare debeant, qua animam agentes facilius et mitius e vita demigrent. Hanc autem partem, inquisitionem de Euthanasia exteriore, (ad differentiationem ejus Euthanasiae, quae animi praepa-

rationem respicit,) appellamus, eamque inter desideria reponimus.“ — Attamen per duo fere saecula, quae Baconem secuta sunt, rem nostram nonnunquam tantummodo memoratam, nullibi elaboratam, invenimus, donec cl. Reil euthanasiam e tenebris eduxit. Sed ipse conqueritur (3 p. 560): „Um dem Menschen ins Leben hineinzuhelfen, dazu giebt es eine eigene Kunst, die Hebammenkunst; aber dafür, daß man erträglich wieder hinauskomme, ist fast nichts gethan.“ Nihilominus id effecit, ut res nostra in memoriam virorum doctorum revocaretur. Itaque cum a multis egregia ad levandos moribundorum dolores consilia esse lata cognovissem, quae vel in singulis libellis vel alibi dispersa leguntur, illa colligere, collectaque ita disponere studui, ut haec disputatio, etiamsi novitate rerum non placeat, tamen quandam utilitatem iis praestare possit, qui illis consiliis commode uti velint.

Haud superfluum mihi videbatur, neque praefatio locus ineptus, quo euthanasiam medicam ab obrectatoribus nonnullis defenderem neque ipsum, ne rem inutilem ad dissertationem elaborandam suscepisse viderer. — Nam quum ii, qui asphyctici diu jacebant, expergefacti, se sine ullo ingrato sensu, imo dulci quodam et demulcente sopore captos, conscientiam perdidisse, enarrarent, nonnulli sibi persuaserunt, sentiendi facultatem apud omnes moribundos celeriter desinere animumque malorum, quibus corpus excrucietur, haud participem fieri, ergo omnem curam, circa moribundos gerendam, inutilem esse. Quo consilio Ferriar

omnia, quae de cura morientibus impendenda praecipui possint, hac una regula complectitur: „noli eum turbare neque sollicitare, qui vita excedit,“ eamque ita exerceri jubet, ut ne potus quidem, quo arescentes fauces madefiant, porrigendus sit, neque situs mutandus, si forte minus illi commodus fuerit (4 § 5). Similem fere agendi rationem commendat Ploucquet (5 § 928). Quamquam haud negaverim, multos moribundos conscientiam sui, ergo etiam dolorum, quibus excrucientur, perdidisse, tamen plura sunt exempla, quae contrarium nobis probant (5, p. 573), (6, p. 37), ita ut nobis persuasum sit, etsi ex multis nonnulli sint, qui nostra opera carere possint, eam non omnibus frustra adhiberi.

Alia etiam ex causa euthanasiam medicam inutilem, imo noxiam putaverunt: experientia enim constat, placidiorem esse mortem, si aegrotus morbo sibi relicto intereat, quam cum morbi natura medicamentis tentata sit (7, II p. 26). Cl. Paradys (8, p. 565) etiam affirmat, per acra certamina plerumque acutos, rarius chronicos morbos finire, nisi sub exitum in acutos mutati sint, quod saepe artis nimis sedulae opus sit. Sunt, qui cl. Hoffmanni septem legum sanitatis ultimam: „fuge medicos et medicamenta, si vis esse salvus“ (9, p. 319), huc spectare velint. — Sed ut omitamus, nostrum studium jam postulari aegroti fide, quippe quae in multis casibus, ubi ad ultimum ventum est, praecipue in medicorum praescriptionibus posita sit, multa quoque existant auxilia atque adminicula, quibus mortis acerbitas mitior reddatur, multa-

que medicamenta, quibus atrocissima symptomata levare queat medicus. Sic Goelis (10 p. 166) observavit, infantes, encephalite acuta correptos, placide et sine spasmis exspirare, si extremo tempore, quo cerebrum ab effusis humoribus torpeat, potus mulcens ex hba. digitalis paratus iis propinetur. Plura exempla similia asferre possum, sed ne longus fiam, ea omittam. Ceterum spero, fore ut uberiore rei nostrae consideratione instituta, praestantia ejus, beneficiaque, quibus abundet, lectoris benevoli ingenium haud fugiant.

Liceat mihi, hanc praefationem finire verbis Morgagni (11 p. 3), cum optime exprimere videantur, quae mihi in dijudicando hocce libello optanda atque praecanda sunt. „Et quamquam per temporis, quo scripsi —, necessariam brevitatem, partim quoque per ipsam formae naturam atque rationem, neque omnia exponere quae sentio, neque ea ipsa, quae exposui, ita exprimere potui atque explicare, ut non sine aliquo timore essem, ne alicubi in rebus, alicubi in rerum causis mancus quodammodo et subobscurus, praesertim minus attentis, viderer, saepius item aut vanus promissor rerum, nemini, nedum mihi possibilem, aut eorum, qui laudandi hic illic auctores fuerant, dissimulator ingratus; ea tamen fuit universae illius Concionis cum in diligenter audiendo benignitas, tum in iudicando aequitas, ut ea omnia necessaria esse brevitatis illius incommoda, non futuri operis vitia, existimaverit.“

Vitae nostrae conservandae et per multos annos producendae desiderium nobis omnibus ita impressum est, ut illud, tanquam summum, in aerumnosa saepe vita, a creatore concessum beneficium, admirari potius, quam verbis digne describere liceat. Multi medici, nunquam se vidisse morti proximos, affirmant, etsi haud paucos accurate consideraverint, in quibus amor vitae ulterius protrahendae nullus eluxerit. (12. p. 175) Multos quidem magnanimitate, gloria, honore, amore, aliisque mentis affectibus excitatos, qui mortem vehementer appetiverint, et alios, qui ratiocinio singulari ducti, in morte beatitudinem desideratam posuerint, mihi opponendos habeas. Verum enim vero hos excipere debes, quippe qui aut mentis affectibus excitati, aut adversa fortuna dejecti, aut falso ratiocinio, aut animo alia ratione implicito seducti appareant. De iis hominibus nobis sermo est, qui mentis integritate compotes, naturae nutum simpliciter sequuntur, argutias et philosophiae fallacis quisquillas contemunt. Neque igitur mirandum, si omnibus temporibus homines, quo vitam firmare, ejusque beneficia melius usuca-

pere possent, praesidium omni sedulitate quaerebant. Ejusmodi praesidium ingens ab arcanis remediis sibi promiserunt: „ita quingentos annos Geberi Arabis rubrum elixirium spondet: Paracelsi tinctura philosophica in agone mortis certam salutem pollicetur: aviculam Hermetis catholicam praedicat Rhumilius, aquam benedictam paradisiacam Hollandius, ut reliqui secretorum suorum Eucliones omittantur.“ (13. p. 21.) Dubito, an alius generis sit, quod de Medae potione referunt. Cultioris aevi difficilior est ad fabulas istas assensus. „Rigidum jus est et inevitabile mortis.“ Omnia properant ad terminum, gradus minuere licet, at pedem referre nunquam. Qua veritate homines perquam depressi, nexum inter vitam et mortem saltem intelligere studebant, et mortis causam philosophicam undique quaerere conabantur. Sed quanta de hac re variarum opinionum turba! Nihil ad nos pertinet, has cum insigni arte fabrefactas larvas oppugnare. Revera enim cum rudi plebecula agnoscunt doctissimi viri, vitam nostram terminari, quamvis, in quo consistat nova mutatio, acutius inspexisse videri velint. Nostra consideratio in limine mortis, haud ulterius progressura, consistit, et praecedentes potissimum causas, quae ad mortem ducant, aequis momentis ponderabit.

Atque mortis sunt duo genera, quorum alterum illos homines excipit, qui per necessitatem quandam, cunctis animantibus impositam, defunguntur; alterum in illis obtinet, qui ex fortuita causa, organismum laedente, animam ex-

spirant: mortem naturalem seu necessariam illam, hanc praeternaturalem seu fortuitam nuncupant.

Mors naturalis extremam terminat senectutem, qua homines viribus consumptis torpescunt ac rigescunt, et marasmo enervati, legibus naturae, quae omnibus animantibus certos terminos posuit, obtemperant, minime vero morbis manifestis ingressis succumbunt. Qua enim naturae vi embryi gelatinae grumulus ad infantis, infaus ad viri maturitatem perducitur, eadem illa vir decrescit, senex decrepitu fato naturali traditur. Adeo imperfecte res suas minime egit natura, ut Stahlus, inclytus ille vir, credidit: „solida ratio, inquit, non potest dari physica, cur homo naturaliter sine simplici atque directa vi externa moriatur.“ (14. p. 20.) Itaque mortem, quae nulla ratione comprehendi possit, ex arbitrio divino pendere mavult. Quid hoc est aliud, quam rei obscurae novas tenebras affundere, aut rem mirabilem per miracula explicare? Expressae voluntatis divinae vestigia in operum congenitis viribus scrutari fas est, non extra has illam temere suspicari. (13. p. 6). Cl. Burdach in physiologia sua (15. p. 557.) tam graviter atque luculenter disseruit, ut vix invenias, quem meliorem ducem, ex hodierno scientiae nostrae statu, ad illustrandam hanc rem, maximis difficultatibus implicitam, sequaris.

Ubi cursum vitae ad ultimos terminos usque absolvere nequeunt, et in medio curriculo interimuntur homines, mors naturae consilium non secuta vitam interrumpit. Qualis mors,

quam praeter naturam humanam esse videatur, jure praeternaturalis dicitur. Ei quidem maximus hominum numerus succumbit, nam senectutem pauci attingunt, si rationem habueris, non decima hominum pars, et senum perpauci mortem naturalem.

Alii auctores aliam attulerunt mortis praeternaturalis divisionem. Sic Himly (16. p. 22) in sectione secunda: de causis et inde pendentibus generibus mortis, affert: A. Mortem ex inanitione. B. Mortem apoplecticam. C. Mortem ex ipsarum virium nervarum corruptione. Prae ceteris cl. Bichat (17. p. 248) tam laute et luculenter hanc rem tractavit, ut me novi quid vix adjicere posse intelligam. Cerebrum, pulmones et cor ea sunt corporis nostri organa, quae quam plurimum ad vitam conservandam conducant, atque ita violata, ut functiones suas praestare non possint, confestim mortem afferant necesse est. Itaque mors triplici modo procedere potest, quos moriendi modos nominibus apoplexiae, suffocationis et synopes insignimus. In apoplexia primum cerebri, deinde pulmonum et denique cordis vita exstinguitur; suffocatione pereuntibus mors a pulmonibus incipit ac per cerebrum ad cor transit; in synope denique primum cordis actio sistit, unde cerebrum et pulmones vita privantur. Atamen negare non possum, multum probabilitatis inesse sententiae eorum (18. p. 84), qui hanc Bichati expositionem sufficere negant, et resolutionem humorum, paralyin aliarum partium aliaque, inter causas mortis enumerant. Quis cum Reilho non consentiat, quaerenti (5. p. 570), annon

paralysis hepatis, qua hydrogenii excretionem omnino prohiberi putat, sufficere possit ad mortem integro corpori inferendam; quomodo porro fiat, ut gangraena, angustis saepe finibus circumscripta, hominem vita privet?

Tractatis causis, haud superfluum mihi videtur, priusquam ad euthanasiam ipsam transeamus, nonnulla de phaenomenis, quae moribundi edunt, proferre. Iterum cl. Bichat mihi afferendus est, qui in libro suo: de vita et morte, omnia symptomata, quae varia mortis genera comitantur, optime depinxit, aequae ac Celsus (19. cap. 6. Lib. II) atque Bnrdach (15. p. 611) qui quasi mortis imaginem ante lectoris oculos posuerunt.

Morte naturali morientes, extremam senectutem adepti, nullis morbis necati, candelae flammis prorsus consumtae ac concrematae ad instar extincti, intereunt. Quam mortis speciem, quum admodum placida sit et talis, qualem unusquisque vel propterea sibi exoptare debeat, quod in hoc limite constitutus, vitae munere satis fructus sit, euthanasiam physiologi appellaverunt. Haec illa *eufronasia*, quae Platoniis iudicio, cum voluptate potius, quam dolore senes ex hoc viventium coetu dimittit. Hilares enim satiatique in conspectu mortis, quae blande excipit et sine minis, reliquias navis ad cursum aptant, novo subiunde vigore, qualis fessis olim crevit, cum septimo stadio palmae appropinquant. (13. p. 20.)

Apud alios, morbo corpus lente depascens, ita solvitur illa, qua vita constabat, consensus actionum, ut aequabili modo omnes sensim

cessent, et vita pariter atque in morte naturali tranquille desinat: ut iis interdum evenit, quos sphacelus ex inflammatione relictus, cum quodam regressae valetudinis sensu, leto dat; aut qui, corpore tabe consumto, defunguntur.

In aliis vita corporis adhuc vegeti subito exstinguitur, ita ut transitus ad mortem brevissimus sit: qualem apud homines invenimus, qui vulneribus, cor conjunctaque ei vasa penetrantibus, pereunt: porro apud homines aetate proVectos, qui, apoplexia correpti, saepe repente interimuntur: apud illos denique, in quorum corpore vitium latet, quod demum vitam destruens se prodit; quale est exemplum cl. Fourcroy, qui, dum negotiis vacabat, repente exclamans „mortuus sum“ exspiravit (15. p. 612).

Tristissima vero est conditio illorum, qui neque aequabiliter neque repente exspirantes, animam agunt, quod vita tarde quidem exstinguitur, sed inertia, ad quam singulae partes rediguntur, concitatiori reliquarum partium actioni haud respondet: unde harmonia, quae corporis actionibus intercedere debet, vehementius laeditur et turbae oriantur necesse est, quae universa demum morte finiuntur.

Ex hac diversorum mortis generum expositione ea cito discernere licet, quibus euthanasia medica lucro atque emolumento esse possit. Facile intelligitur, medici auxilium neque requiri, ubi vitae flum subito abrupitur, neque illos, qui tranquillam mortem obeunt, levatione malorum indigere. Medicus vero, ubi, causis naturaque morbi assidue exploratis observatisque, ac signis symptomatibusque morbi omnibus

rite collectis, aegrotum organo, ex quo vita pendeat, letaliter affecto laborare edoctus, efficacissima remedia frustra in usum vocaverit, propter virium collapsum manifestum, propter colliquationis signa distincta, faciemque Hippocraticam, euthanasiae solius rationem habebit.

Euthanasia medica, (a graecis verbis *εὖ* bene et *θάνατος* mors) ea est medicinae pars, quae de conditione misera moribundorum mitiganda et lenienda agit, ut eorum discessus, quantum fieri potest, lenissimus sit.

Itaque omnia remedia amplectitur vel secundum experientiam vel ex analogia ad hunc finem assequendum apta, cum physica, tum, et quidem maxime, psychica. In latissimo sensu, quia omnia, quae incipientem agoniam breviorrem reddunt, obitum sublevant, illa etiam remedia amplectitur, quae, directa in tenuae vitae filium actione, hoc penitus dirumpere valent. Quorum remediorum quum adsit sat magna copia, medicus in multis casibus his uti possit, ut mortem, quam inevitabilem cognovit, sublevet, et moribundo, cujus saluti desperat, citiorem et inde mitiorem obitum praeparet. Num tale quid conari possit medicus, principia medica atque moralia atque christiana haud negligens? haec sane maximi momenti est quaestio, quum non solum ad generis humani salutem spectet, sed etiam multa argumenta speciosa et sophismata ei indulgeant atque misericordia et humanitas favere videantur. Si videbimus hominem morbo aequo insanabili ac doloribus acer-

bissimis stipato laborantem et ad mortem inevitabilem tarde aerumnoseque properantem: si nos destituet omnis spes, fore ut vitam aegroti conservemus, vel tormina ejus atrocissima, non per horas tantum, sed per dies plures perdurantia, leniamus; neque solatium, ipsi eodem potius egentes, praebere poterimus: si propinqui Deum, ut aegrotum tanta miseria liberet, obsecrantes, lectum moribundi fugient atque adspectum dirissimum non perferentes, miserum derelinquent: si moribundus ipse propinquos vel medicum, ut infandos dolores finiant, vel vitae miserrimae filium resecent, ultimo conamine oris balbutientis, vel, si vox ipsa jam adempta sit, ultimis gestibus, debilis, atamen disertus imprecabitur: critne tunc medico permissum, imo ei officium, ut agoniam doloresque atrocissimos aegroti finiat?

Ad quam quaestionem Cicero quasi respondit: (20.) „Vetat Pythagoras, injussu imperatoris, id est Dei, de praesidio et statione vitae decedere.“ Et Aretaeus (21. p. 271) praecepit: Hominiibus ita dolore cruciatis, ut vel mori beatum sit, mortem tamen inferre, medico nulli nobili fas est. Sed prae ceteris ad hanc quaestionem Hufeland (22. p. 19), vir ille inclytus, tam genuinum atque praeclarum dedit responsum, ut invitus, arcis libelli finibus coërcitus, illius repetitione absteineam. Hoc vero elucet: medico nulla conditione jus tribui posse, hominis cujusdam, ideoque moribundi, vitae exstinguendae. Ex principiis ethicis peccatum admittit, cum impia temeritate

leges divinas violet, atque simul artem suam seque ipsum maculat. In sensu juridico scelus committit: nam vita est jus primitivum (Urrecht), haud abalienandum, et si quis, ut in hoc casu moribundus, eo cederet, et cum alio, ut medico, de eo exstinguendo conveniret, hoc pactum, tanquam pactum turpe, irritum esset. Medicus igitur nunquam talibus remediis vel in tanta dosi uti potest, quae mortem propinquam accelerent. Nam mortem levare non idem, quod mortem inferre, quamquam vice versa in multis casibus mortem inferre idem sit, quod mortem levare.

Difficillima sane est res, remedia, quibus medicus apud moribundos uti possit atque debeat, in justum redigere ordinem. Nobis Klohssii (23, p. 74) divisio prae ceteris placuit; itaque eum sequentes, primum de remediis agemus, ad res externas et dietam moribundorum spectantibus: tum de iis, quae, quanquam non raro materialia sunt, tamen, propter effectum communem cum immaterialibus in animam, psychica nominantur: denique de remediis mere medicis sive pharmaceuticis.

Primum agam de aëre: quod vitae pabulum, ut moribundis etiam solamen mortis fiat, purum sit et saepius renovetur necesse est: aegrotis colliquescentibus maximam affert emolumentum, praesertim phthisicis, qui sputa foetidissima ejiciunt, atque carcinomatosis, aëre corrupto et impuro semper circumdatis. Quocirca ex valeudinario lasana et matelliones et om-

nia, quae odorem malum diffundant, removeri juvat, omnia vero, quae bonum et jucundum, admovent; quod tamen non bonis odoribus, qui nares solum mulcent, sufficiens, sed aptius aditu aëris exteri perficitur, cui eo magis indulgendum est, quo minus propinqui, artis imperiti, aurae meatum et perfriktionem nimium timentes, aërem purum admittunt, quo angustius est conclave, et quo magis hominibus repletum, quo difficilior aëris aditus. Quodsi vero per morbi naturam fenestras aperire non licet, saltem acetum commune vel aromaticum paulatim exhaletur, vel solum illo adspargatur.

Caloris gradu eo temperetur conclave, qui sensui aegroti commodus atque jucundissimus videatur. Idem valet de collustrandi ratione.

Non minoris momenti est summa mundities lectuli, stragulorum, indumentorum, suppellectilis et utensilium omnium, quae in ultimo morborum chronicorum immedicabiliumque stadio, praesertim in profluviiis, in profusa suppuratione etc. medici curam quam maxime requiret. Mundities etiam plurimum valet contra malum molestissimum et cruciatus plenum, quo multi aegroti, per plures hebdomades vel menses lectulis affixi, laborant: contra decubitus, cui instanti melius prospicimus, quam praesenti medemur. Praecaveatur igitur linteis quam maxime mundatis, stragulis omni studio laevigatis explanatisque, vel pelli cervina vel linteo cetero apte substratis. Aegrotus vero stupidus et torpidus saepius per diem inspiciatur necesse est. Decubitus vero ortum, quippe qui mox

ingravescens latiusque serpens, aegrotos prius, quam morbus ipse absumere polleat, omnibus remediis oppugnare debet medicus.

Maximam etiam curam habere debet cubilis, quod nec nimis durum, nec nimis molle et ita constructum sit necesse est, ut corpus in positione ad perferendas molestias commodissima jaceat, quae regula praecipue observanda est, si certum corporis partem morbus occupavit: ii v. c. qui morbo pectoris, vel, sub finem vitae, impedita respiratione laborant, in erecto situ melius se habent, quam supini jacentes; dum contra ii, qui mole ventris aqua distenti excruciantur, in plano parum inclinato cubare malunt, etc. Multum proderit, si fieri potest, duos lectos alterum juxta alterum collocare, ut et lectus sine aegroti incommodis sternatur, et, quod non raro anxii admodum concupiscunt, ut ex alio in alium transferantur. Marx (24, p. 135) lectum ex multis parvis pulvinaribus constructum commendat. Vogel (25, § 5) lectos aegrotorum artificiales laudat.

Medicus autem, etsi summa diligentia adsideat aegroti ejusque res curet, parum tamen proderit, si ministri, imprudentes et male seduli, moribundo adstant et consilia frustrantur. Quis neget, eos quam maximi esse pretii moribundis, sed difficile etiam molestumque eorum munus et rarissime inveniri eas virtutes, quae ab iisdem exiguntur. Nam validi, comes benignique, sobrii atque intenti, placidi, pervigiles et mundi sint necesse est. Omnes, qui nosocomia Parisiis (26, p. 31) frequentabant, in laudandis virginibus sacris, quae appellantur:

soeurs charitables, consentiunt. Sapientissimus ille Austriae Imperator Josephus II, dum omnia fere alia monasteria sustulit, hunc ordinem, ceteram ejus utilitatem intelligens, servavit. Maxima attentione dignum est illud, quod cl. Mai Heidelbergensis dedit, lectionibus in usum feminarum habitis, exemplum. Humanissima illa Marchionissa Badensis Amalia in hunc finem praetia exposuit; maxime vero dolendum est, hoc institutum jam morte auctoris finitum esse neque imitatores habuisse (27, p. 154). Sed quantacumque est virtus atque sedulitas curaticum mercede conductarum, nequam comparanda est cum illa cura, quam familiares cognatique, singulari amore atque benevolentia ducti, praebent. Qualis cura, nullo auro emta, sed ex praecedente amore et sinceritate profecta, suavissimum est moribundo solamen. Medicus, si eligere potest, mulieres viris curantibus anteponet, quippe quae patientia, aequitate et mansuetudine illis praestent. Si vero neque hae adsunt neque propinqui et affines, tunc quos circa moribundum invenit, doceat atque instituat necesse est, quae et qualis cura aegrotis gerenda sit.

Minoris momenti, sed nequam negligenda sunt apta oblectamenta cum cibi, tum praecipue potus. Quo minus horum in univsum homines conclamati et moribundi sumunt, atque sumere possunt, eo magis curemus, ut id, quod poscunt, vel quod porrigitur, re vera jucundum et recreans sit. Sensus gustus in plurimis casibus ad mortem usque integer restat, rarissime tantum peculiaribus morbis obunditur, saepius

e contrario acerrimus fit et subtilissimus. Jucundissime moribundi ab aqua recens hausta reficiuntur (27, p. 5), praecipue si internae partes aestuant et arescunt. Ipsi divites, qui antea luxuria et lautis epulis gaudebant, ultimis diebus aquam postulant atque largis haustibus bibunt. Omnes aliae potiones, quamquam primum summa aviditate a moribundis postulantur, mox eos offendunt. Quod praecipue valet de potionibus compositis et de gelatinis dulcibus. Haec superfluum mihi videntur nonnullae regulae, quas Ktchhoff (23. p. 88) in hunc finem proposuit. Nunquam porrigantur magnae portiones potus, etsi aviditas hujus quam maxima sit. Aegroti paululum eleventur et sustententur, dum bibunt, ut facilius potum deglutiant. Neque nimis frigidus neque calidus sit, sed semper ea temperie potus, cui ultimis diebus assuetus erat aegrotus. Si plures aegroti adstant, praecipue ab ea vel eo porrigantur omnia, quem antea carissimum habebat.

Transitum ab adminiculis, modo tractatis, ad psychica illa praebere videntur, quae sensus afficiunt et per hos animum grate jucundeque movere possunt. Non modo quietes et silentium in moribundi cujusque vicinia magnopere requiruntur, ne terreatur atque expergeat, si paululum obdormiverit vel delirium blandis se dederit, omniaque ex oculorum auriumque acie removenda sunt, quae hanc offendere possint; verum etiam multum ad mortem leniendam conducet, si sensus positive gratissime afficiuntur. Nullus fere sensus est, qui ad hunc finem ineptus sit atque aditum claudat, dummodo ne ejus

percipiendi vis jam plane oppressa sit. De gustu atque olfactu jam antea sermo fuit. Nobilissimi vero sensus, visus atque auditus, jam ex hac causa aptiores sunt, quia, potissimum auditus, ad ultimum fere vitae momentum restant. Quum vero probatum sit, arte musica mentem a corpore et ab ejus ingratis sensationibus quasi abduci et grato modo et voluptate quadam occupari posse, musica maximi est aestimanda, quae, secundum cujusque aegroti conditionem moderata, nunc exhilarare, nunc exaltare, nunc tristitiam voluptuosam provocare posset. Etiam ars pictoria et statuaria multum in moribundis adjuvandis praestare posset, cum satis constet, picturas pulchras vel statuas elegantius elaboratas visum hominis oblectare eumque a molestiis suis per quandam temporis moram detrahere posse.

Transeamus ad levamina moribundorum immaterialia, sive ea, quae praecipue in animum agunt, atque per hunc sphaeram somaticam aegroti tangunt. Inter haec primum tenet locum fiducia, quae tanquam planta tarde crescens, fructus serotinos ferens, atque, prohi dolor! non semper perennis, maximi pretii est in omnibus morbis chronicis, cruciatus plenis, iisque potissimum, in quorum recessu inevitabilis mors latet. Hoc loco neutiquam exponere possumus, quomodo medicus hanc sibi conciliet, firmet atque augeat; id tantum mihi monendum videbatur, quam maximi esse pretii, ut hanc ad extremum usque moribundi habitum sibi con-

servet. Sed difficillima sane est res, et maximam hominum cognitionem, ingenii celeritatem, peritiam atque eminentem indolem medicam exoptulat.

Arcte conjunctum est cum illa fiducia sibi conservandae studio illud, ut vitae propagandae spem, si deest, resuscitet, si adest, conservet, si hebescit, renovet atque roboret. Sed hic maxima requiruntur prudentia medici et aliae, quae antea laudabantur, virtutes. Quam cautissimus sit medicus in quaestionibus et explorationibus, circa aegrotum instituendis, qui suspiciosus omnes gestus, vultus et verba medici maxima cum attentione observat, atque ut verbis incautis, mors maturari, sic firma sanationis expectatione vita produci potest. Jam Cicero (28.) dicit: aegroti, dum anima est, spes esse dicitur: atque saeculorum experientia hoc probavit. Galenus (29. p. 996) olim aegro prudenti nec timido, nihil eorum, quae in morbo futura essent, dissimulari jussit; stulto autem et anxio ita, inquit, confirma animum, ut nec magnopere mentiaris. Sed constat, paucos reperiri tam compositae mentis, ut imminenti mortis nuntio haud turbentur: ergo aequum videtur, nimis formidulosos, ad vultum gestumque medici sollicito attentos, quos imaginatio salutis plus quam medicina juvat, hilari vultu consolari, eorumque metum probabili sermone lenire. Sed verae fidei auxilium a mendaciis non expectandum. Hinc minime convenit in certo periculo spe vana mulcere et temere promittere; decet potius in omni ambiguo morbo animum humanorum casuum memorem et ad

coelestia conversum laudare, propinquos vero de magnitudine periculi edocere (30, p. 438). Quia ratione medicus non solum famam suam in tuto collocat, sed etiam cavet, si quid moribundi affnibus ante ejus obitum instituendum sit, ne mors inopinata illum opprimat, ipsosque eo vehementius commoveat et percellat (31. p. 107). Coena sacra, testamenta, vel alia ob rei familiaris conditiones instituenda, si necessaria atque optanda videantur, consolationis vel animi componendi causa commendentur, nequam vero propter summam morbi malignitatem ab aegroti poscantur (25. § 12). Quapropter optimum profecto esset, si sanus quisque, lege publica sancita, testamentum faceret, quod Reil (3. p. 578) eo aptius commendat, quo saepius moribundus recto iudicio non amplius gaudet.

Moribundorum conditio adversa eximie lenitur, si cum medicum, tum adstantes, sorte ipsorum motos atque miseratione ductos animadvertunt. Inde fiducia, amor, obsequium erga medicum proficiunt, quo fit, ut non raro secreta, quae sub alto corde premebant, ei detegat, quod nonnunquam vim saluberrimam in moribundos habet. Contra frigus, negligentia atque insolentia fidem minuunt, immo auferunt, aegroti animum obstinatum reddunt, ita ut non amplius obediat praeceptis atque patientiam exuat. Sed illi etiam, qui aegrotum circumdant, propinqui atque familiares eodem animo mansueto imbuti et misericordia moti esse atque veri et sinceri sui amoris documenta prodere debent. Nam amore non solum vita dul-

cissima redditur, sed etiam mortis aculeus obtunditur. Qui hoc sensu caret, diligentissime a moribundi lectulo arceatur. Itaque prohibeantur, quantum fieri potest, omnes homines salutarum invisurique, quorum garrulitate et confabulatione aegrotorum mentes afficiantur; eorum loco potius colloquiis raris, sed opportunis ingeniosisque, vel quantum prodest, jocos et fidium cantu oblectamentisque literariis exhibeantur, ita ut memoria morbi insuperabilis conditionis deserta remittatur et animus excruciatu erigatur (36. p. 22). Multum solatii affert moribundis, si bonorum ejus operum recordationem renovemus, atque spem injicimus, fore ut etiam in posterum, non solum apud amicos proximosque, sed etiam apud alienos, grata ejus memoria vigeat. Maxime commendanda sunt ea, quae cl. Vogel (25. § 10) in hunc finem suavit, et libri orationesque sacrae, quos l. c. commendavit.

Verbi divini minister, qui hucusque aegroti animo curam habuit, consiliis, adhortationibus et omnibus subsidiis, quae animum moribundi constantem efficiant et spem futurae vitae excitent, praesto esse debet. Si vero aegrotus ipse eum non nominatim poscit, num medicus est, eum arcessere? Negat cl. Vogel (25. § 18). Equidem non possum, quin ei assentiar. Nam in plurimis casibus, subito apparente verbi divini ministro, aegrotus, quem hucusque periculosam conditionem celaverant, maxime percussus, morbusque inde malignior fit; ab altera parte optimae sacerdotis adhortationes inutiles sunt atque inanes, si moribundus eas ne-

que audit, neque comprehendit, vel si, ut interdum accedit, intelligendi facultatem superant. Saepissime vero fit, ut aeger, qui plane conscientia destitutus videtur, non ita se habeat, sed quam acutissime audiat. Quem infelicem si sacerdos cum vehemente et alte penetrante voce adloquitur, maximis tormentis excruciarum constat, quod etiam nonnulli ex statu illo asphyctico expergefacti probant (6, p. 37. 8. p. 569). (Quae et qualia miseri moribundi in terris catholicis perpessi sunt, non sine horrore ex cl. Frankii systemate polinae medicae cognoscimus) (35. p. 577). Medicus igitur, si ita se res habent, ejusmodi impetus avertere studebit et verbi divini minister, qui id tantum petit, ut solatium aegro pareat atque imbecillum erigat, a medico praesente libenter iudicium de animi vigore, adhuc superstiti, exiget et blanda atque benigna voce officio suo satisfaciet. Fit tamen non raro, ut, quae in finem illum a medico dicuntur, post praesita tot amoris, fidei et sollicitudinis documenta, etiam priori aere excipiantur (32. p. 395). Namque in hoc saepe aegri multo majorem collocant fiduciam, quam in ipsis sacerdotibus (33, § 395). Objicitur quidem non raro medicis, eos, physicis corporis principiis declarandis nimium intentos, verae religionis praeccepta negligentius tractare, neque illius dogmata recte profiteri, sed nexui causarum physicarum et fato omnia tribuere, ideoque ad solatium, aegro praestandum, minus idoneos esse. Equidem non omnes ab hoc vitio liberos pronuntiabo. Neutiquam vero reprehendam eorum diligentiam, qui in naturae

mysteriis recte instructi, altius sapiunt, rebusque divinis atque humanis verum pretium statuentes, superstitioni se fortiter opponunt, eamque a religionis verae dogmatibus discernunt. Itaque id tantum nunc contendo, medicum, molestias vitae humanae saepius attente contemplantem, non tantum in scientiae medicae fundamentis magis confirmatum esse, sed mutationes etiam, quae in aliam laetioresque vitam nos conducant, optime perpendere et dijudicare posse.

Multum solatii affert moribundis, si de surorum, quos relinquunt, sorte certiores redditi atque tranquilli e vita demigrant. Sollicitae vitae conditiones, res familiares perturbatae, anxia cura de iis, quos sincero amore amplexi erant, uxores et liberos, quibus nondum satis prospectum est: haec omnia mortem gravissimam et acerbissimam reddere valent. Diese Vorsorge, ait Reil (3. p. 579), ist Obliegenheit des Staates, der der allgemeine Berather der Wittwen und Waisen ist; er muss einen Haushalt führen, in welchem weder das physische, noch das moralische Wohl der Menschen gefährdet wird. Eine grosse Aufgabe! Sane, non solum magnum problema, sed etiam tantum, quod vix in singulis, nedum in universo solvi possit. Et quae res publica efficere non valet, non ex solo medico quaerenda sunt. Tamen hoc neutiquam negligendum est: in multis casibus jam ingenii ejus acumen, atque hominum cognitio auxilia suppeditabunt, quibus proferendis anxium moribundi animum relevet. Quibus omnibus deficientibus, ejus spem ad Deum optimum, sincerum tutorem omnium viduarum

et orborum erigat atque firmet. Pari modo etiam medicus, si fieri potest, ultimis desideriis satisfaciat vel efficiat, ut moribundus certus sit, relictos facturos esse, quae petiverit.

Maximum solatium affert moribundis, si propinqui, singularis amoris et consanguinitatis vinculo conjuncti, lecto eorum adstant. Errant sane, qui contrarium contendunt et luctum supremum inde acerbiores reddi credunt. Animi humani est, ut in multis casibus summa doloris cujusdam vis hunc mitiorem et tolerabiliorum reddat: ut summa ejus acerbitas, si fastidium quoddam superaverit, non deprimat animum, sed potius erigat. Nimia intensitas magnae extensioni contraria; neque dolor, sed in majore tantum et maximo gradu, voluptate quadam et beatitudine caret. Si longinqua itinera, magna pericula adeunda, carissimorum coetum nos relinquere cogunt, nonne ultimo, quod nonnunquam verendum est, eorum sermone frui studemus? nonne in ultimis eorum amplexibus libenter haeremus? Jam in antiquitate summum beneficium Deorum habebatur, si in patrio solo atque inter penates domesticos mori contingebat: neque nostris temporibus non viget eadem sententia. Ubi quaeso, mors magis acerbiter suam amittere potest, ubi, qui eam praecedunt, anxietas et dolores et cruciatus melius minuere atque lenire licet, quam in sinu carissimorum familiarium? Qualem exitum sibi semper exoptavit Caesar Augustus, et obtinuit: nam sub blandis osculis carissimae Liviae exspiravit. (Sueton. Oct. c. 99). Neque vero ex voluntate medici pendet, talem obitum parare:

quomodo enim consanguineos familiaresque accessere potest, si desunt? quomodo hos, quidem praesentes, sinceritate atque singulari amore replere potest, quo, ut obitum moribundi leniant, affecti esse debent, si illis carent? Itaque, quod Celsus (19. p. 155) egregie de insanientibus praescrisit, de moribundis maxime commendandum videtur: „non oportere esse vel solos, vel inter ignotos, vel inter eos, quos aut contemnant aut negligant.“ Amicos quoque, qui in ultimis moribundi amplexibus haereant, nimia animi perturbatione affectos, adhortationibus temperandos esse, prudens medicus facile intelliget. Non reprehendendae sunt lacrymae, quas pro optimis parentibus, pro conjugibus caris, pro liberis dilectis et pro omnibus fundimus, qui vitam nostram aliquo modo nobis tranquillam, hilarem atque felicem reddiderunt. Testes enim sunt amoris atque benevolentiae, quibus nos per omnem vitam amplexi sunt et quibus omnibus in posterum destitutos fore, praevidemus. Inter omnes tamen hos medicus, etiamsi ipse ob amicitiam, cum aegro antea cultam, commoveatur, animi tamen praesentiam atque constantiam servet, vehementi animi affectui se opponat nimiamque tristitiam temperet. Medici animus, quamquam scientia et virtute munitus, quam maxime concutitur. Nam dirum omnino est, eorum exponi oculis, qui modo inter plancus et lacrymas, modo inter probra et admissorum fortasse errorum suspiciones, quas maxime imbecillis animi hominibus instans amicorum jactura inspirat, intempestive auxilium non praestandum exigunt vel praestiti dignitatem

morose ignorant. Hinc facile excusandus est medicus, qui periculi, quod evasurus aeger non est, conscius, se sensim subducit et turbam fugit, molestis quaestionibus, ineptis querelis et censorio vultu ipsum vexantem (32. p. 596). Nunquam vero omnino desperasse videatur, sed in ipso discessu se semper paratum esse affirmet, ad omnia auxilia, quae amplius optanda atque praestanda sint, ferenda (25. §. 13).

Multos moribundos timor vexavit et mortem acerbiorum reddidit, ne non plane mortui sepeliantur. Nec denegemus, singula signa, quae mortis certissima praedicantur, fere omnia non omnem dubitationem secludere, ita ut nostris adhuc temporibus valeat illud Plinii (34.) effatum: „haec est conditio mortalium: ad has et ejusmodi occasiones fortunae gignimur, uti de homine, ne mortuo quidem, debeat credi.“ Dubia sunt nonnunquam mortis indicia in asphycticis, syncopiticis (et praecipue feminis hystericis). Itaque in hoc dubio vitae et mortis statu medici quoque sententia postulatur, qui ex dispositione aegri et indole morbi praegressi, habitaque ratione cunctorum, non singulorum mortis signorum, cognoscat, qualis status praesens hominis sit. Iterum atque iterum in memoriam revocanda sunt, quae inclutus Hufeland (6.) de incertitudine mortis auulit. Utinam domi, ad observandos aliquamdiu mortuos, quas ille aedificandas suasit, ubique exstruantur, eo magis, cum novissimis temporibus eximium infantis, in tali aedificio in vitam reversi, exemplum proditum sit.

Ille vero apud homines incultos interdum

mos vulgaris, sed turpissimus, quo mortuis cervicalia subtrahunt, vel oculos et os naresque claudunt, vel eos in faciem convertunt, vel vixdum mortuos, adeo hiberno tempore, in conclavi frigido collocant, vel abdomen gravibus ponderibus onerant, quominus exerceatur, omni modo prohibere, medici est officium (6. p. 18) (25. §. 17).

Transeamus denique ad illa auxilia moribundorum, quae remedia medica, in sensu strictiore, sive pharmaceutica praebent. Quibus neutiquam utimur, ut desperatam salutem restituere conemur, vel inevitabilem organismi humani ruinam retardemus; sed applicatio eorum modo eo tendit, ut singula prae ceteris eminentia atque maxime excruciantia symptomata morbi cujusdam, quem letiferum cognoscimus, deprimantur, ut sunt: ingens anxietas, insomnia, dolores, spasmi convulsionesque, excretiones profusae atque colliquativae etc. Symptomatum igitur ratio, quae in morbis sanabilibus causarum ratione inferior jure habetur, sola et primaria nunc medicum curantem ducit. Quam tamen indicationem explere in morbis, omnem curam radicalem respicientibus, difficillimum est, multo difficilium, quam in morbis sanabilibus, partim, quod morbus immedicabilis etiam symptomata, tanquam e foco radiantia, indole sua imbuunt, partim quod effectus medicamentorum ipsorum, quem alium apud sanos, alium apud aegrotos esse cognovimus, certo etiam secundum morborum ipsorum indolem variat, prout sanationis spes adest aut deest. Quanquam negare

non possumus, maximam medicamentorum varietatem in his casibus esse quantitativam atque inde auctam dosin requiri; tamen hucusque incerti sumus, num haec unica sit, quum observationibus de hac re omnino careamus. Medicamenta, ad nostrum finem adhibenda, tunc tantum aliquid efficere valent, si simul cum aliis auxiliis, de quibus jam antea sermo erat, applicantur: sine illis nullum fere effectum exserunt. Deinde ejusmodi esse debent, ut effectum celerem in organismum exserant. Itaque ex magno eorum thesauro, volatilia, quae dicuntur, imprimis eligenda sunt, et secundum morbi naturam modo excitantia, modo nervina, modo narcotica. Constat vero, nullum esse medicamentum, quod jam per se, in omnibus conditionibus, mortem lenire atque specificum levamen mortis nuncupari possit. Quod de singulis medicamentis, etiam de classibus, in quas rediguntur, valet, neque sola anodyna, neque antispasmodica, neque sedantia etc. unicum refugium medico, moribundi curam gerenti, praebent. Quodque remedium, in certo casu atque sub certa conditione apud moribundos in usum vocari potest: venaesectio pariter atque opium, tam emeticum, quam hyoscyamus, acid. hydrocyanicum aequae ac laxans. Medicamenta cum externa tum interna adhibentur, quae ultima ea sint forma atque indole necesse est, ut non nimis acria vel ingrata, saporem aegroti offendant et etiam deglutendi vi jam magnopere impedita, tamen hauriri possint. Praeterea medicus omnia vitabit remedia, quibus dolores et cruciatus moribundi augeri possint, ut vesicantia atque caustica, si haec nil profutura intel-

lexerit, omniaque momenta causalia, quibus paroxysmi morbi cuiusdam excitentur, arcebit. Sic hydrophobis optime parcat medicus, si omnes res splendidas, aquae similes amovebit.

Qua ratione in singulis morborum speciebus medico agendum sit, si hic expositurus essem, limites hujus opusculi excederem et medici peritissimi, qui varios subtilesque morborum modulos atque vitae organicae omnes rationes, diuturna studiosaque praxi, animo comprehendit, nomen contra jus et fas mihi, rerum medicarum tironi, vindicarem. Liceat igitur nonnullas modo afferre methodos, singulaque medicamenta, a pluribus auctoribus prae ceteris laudata.

Quanquam in summo virium defectu systema vasorum raro ita exagitur, ut phlogosis in sensu strictiore percipiatur, congestiones tamen quaedam erethicae et sanguinis ad hanc vel illam partem affluxus molestantes interdum occurrunt. Sic in ultimo phthiseos floridae statu, ex inflammatione quadam erethica, symptomata gravia atque fere intollerabilia: tussis vehemens, respiratio angustata et aliae affectiones molestae, oriuntur, ubi parvae sanguinis missiones ejusque topicae evacuationes nonnunquam commodae inveniebantur. (25. p. 107) (7, VII. p. 335). Maximum etiam attulerunt emolumentum venaesectiones in multis morbis immedicabilibus, nequam, ut sanatio restitueretur, institutae, sed modo ad deprimentia maxime urgentia symptomata: sic in multis morbis organicis, in morbis cordis (7, VIII. p. 305), praecipue in vitis valvularum cordis, apud circulationem impeditam, apud aneurysmata insanabilia (37. § 1272), in nonnullis hydropis casibus,

praecipue in hydrothorace (7. V. p. 112). Sanguinis missiones topicae in plurimis casibus aptius institui possunt universalibus, (ne tamen credamus, universales, certo indicatas, topicis, etsi largis vel ad modum cl. Broussais institutis, compensari posse) rarius contraindicantur, atque earum abusus minus detrimenti affert. Nec vero negligenda sunt multa incommoda: locus applicationis, frequenti repetitione, minus aptus aut nimis dolens redditur, vel gravius adhaerescunt hirudines, stillicidium sanguinis, quod sequatur necesse est, justo diutius perdurat, perfrictio propter denudatas partes timenda est. — Alia interne adhibita remedia antiphlogistica, quamquam minoris efficaciae sunt, tamen sanguinis missionum effectum sustinere atque firmare possunt.

Quum vero plurimi moribundorum affectus et dolores systemate nervorum nitantur, medici cura praecipue eo tendat, ut sensibilitatem immodice vel inaequaliter irritatam atque actionem cerebri, prae ceteris perturbatam, deprimat atque mitiget, e tota medicamentorum serie moribundis levandis, illa, quae directe in nervos agere valent, maxime eligat, — narcotica dico medicamina. Quae caute et apte applicata in euthanasia maximi aestimanda sunt. Debilitant enim vel deprimunt actiones systematis nervosi in aliqua sphaera vel in aliqua directione: dolores atque cruciatus, etsi modo aliquamdiu, placant et tollunt, somnolentum quendam statum provocantia.

In iis tamen applicandis maxime cavendum est, ne effectum suo secundario detrimentum incommodumve secum trahant affectionesque, graves adducant: sic, ex. g. opium, etsi dolores

urgentes mitiget et placet spasmos convulsionesque removeat, diarrhoeas copiosas sistat, tamen inconsiderate et praepostere adhibendum vires, jam per se prostratas, magis dejicere et sequelas pessimas adducere potest, ut magnam oris siccitatem, ad aphthas gignendas pronam, nimiam alvi obstructionem, humorum depravationem, sudoremque excitatum etc.

Contendere neutiquam possumus, in singulis horum medicamentorum specificas inesse vires, tamen aliud contra alios cruciatus et in alia organa plus valere, multae observationes testantur. Opium, et praecipue Morphiū, (38. § 282) in cholera, colica saturnina, tabe nervosa, in tetano et praecipue in phthisi pulmonali contra tussim, dies noctesque aegrotum cruciantem et contra diarrhoeas colliquativas optime porrigitur. Sic Paradys (8. p. 567) amico, cum postremo vitae tempore cruciatus singultus molestissimi, cum acerbissimo cordiae dolore, anxietatem incredibilem afferrent, ita ut mentem, eo usque constare visam, emoverent, exhibito opportune paregorico, turbas sedavit, menti serenitatem reddidit et placidum e vita excessum conciliavit. Sic Beschütz (39. p. 37) ex nosocomio Caritatis eximium exemplum affert, ubi tinctura opii benzoica vires pulmonum prostratas resuscitavit, eorumque functiones, propemodum interceptas, denuo incitavit.

Lacucarium placidum somnum adducit, (38. §. 472) nullis ad cerebrum congestionibus provocatis: sane maximi aestimandum remedium, cum somnus, qui sanis magnum jam affert corroboramentum, eos homines desertos, qui et corporis et mentis stimulis excitati, insomniis perpetuis

doloribusque molestantibus consumuntur, adjuvare prae ceteris poleat.

Hoscyamum, ubi opii usus moribundis nocere possit, huic medicamini substituere ac praeferre possumus, quippe cum nec systema vasorum exagitet, nec alvi excretionem retineat, nec sudores promoveat (38, § 446). Deinde in phthisi pulmonum pituitosa et purulenta magnam utilitatem habebit, pariter atque in asthmate convulsivo, in hydrope thoracis, in cynanche laryngea et aliis (38, § 454).

Belladonnae praeparata apud scirrhositates atque indurationes organorum glandulosorum, ad secretionem pravam corrigendam ac cohibendam optime agunt (38, § 419, § 420).

Cicuta vero iis, qui vehementibus doloribus ex albo tumore, prosopalgia variisque ossium morbis dolentibus corripiuntur, summum levamen haud raro affert (38, § 2366).

Acidum hydrocyanicum et aqua laurocerasi in phthisi pulmonali florida, in febre hectica, in carcinomatosis ulceribus uteri et mammarum, suo jure laudantur (38, § 374, § 375).

Digitalis haud parva emolumenta in morbis cordis organicis, in arteriarum malis, et in aliis organorum interiorum cum sanguinis impetu conjunctis morbis suppedabit (38, § 2417).

In nonnullis casibus multum afferet commodi, si sanguinem, qui ad interiora corporis congeritur, refocillata actione vasorum cutaneorum, ab interno corpore ad cutem revocamus. Quae consilia secutus cel. Clarus (4 p. 24) apud moribundam balneum aromatico spirituosum ordinavit. Cl. Puchelt (18, p. 522) suadet, ut ad hunc finem membra frigida pannis calidis, et liquore quodam aromatico imbutis, foveantur.

Quanquam nonnulli contendunt (36, p. 21) nervina volatilia et excitantia, in moribundis adjuvandis, fere nunquam locum invenire, et tunc tantum usum eorum admittunt, ubi homines, morti vicini, animum expiare, affluibus ultimam voluntatem suam relinquere, vel religioni ultimum officium praebere magno angore coacti, maximo torpore vel sopore opprimuntur, — tamen illa praeter hos casus etiam in usum vocari posse, neminem fugiet. Ubi debilitatum systema nervorum, quo minus systema irritabile rite apteque functionibus suis fungatur, impedit, sanguinisque circuitum, plane perturbatum, corrigere non valet, eadem medicamenta illud quodammodo placare spasmosque sedare, hunc dirigere et reficere possunt, dum systematis nervosi robur incitant ejusque pugnas permulcent (38, § 492, 493). Quorum remediorum nullum fere frequentius in ultimis horis adhibetur, quam moschus, qui optimo jure analepticum verum (38 § 656) praedicatur, et omnium volatilium nervinorum maxime praesentaneum. — Alia memoratu dignissima sunt: varia aetheris genera, vina nobilissima, praecipue vinum rhenum vetustissimum, in parvis dosibus propinatum (25, § 16), infusa theiformia ex herbis menthae crispae, piperitae, etc. tanquam fortiorum medicamentorum vehicula.

Multa alia nominare possemus medicamina; cum vero supra laudata efficacissima sint, cetera omittamus.

Quibus expositis superest, ut reliquarum rerum, quae in moribundis levandis, maximam vim habere possint, rationem habeam; sunt enim multa, quae conditionem moribundi cu-

jusdam peculiarem reddere valeant: natura et vehementia morbi, sexus, aetas, temperies, mores, animi indoles, natura, consuetudo, ingenii cultus, vivendi rationes, externae ejus conditiones, conditio fortunarum earumque cura, affinium et cognatorum consuetudo, vel apud peregrinos desiderium patriae ac parentum et amicorum, bona aut mala conscientia etc. Haec omnia mortem aut gratam aut ingratham reddere possunt.

Propter limites vero hujus opusculi angustos ea, quae omnibus his specialia remedia atque adminicula sint eligenda, hic exponere non possum, et si possem, non auderem, quum medicus, rerum medicarum peritus, singulis singula adaptare et pro quoque aegrotto, quae conveniant, subsidia adhibere, nunquam cunctatus sit.

#### LIBRI CITATI.

- 1) Hippocratis opera ed. Kuehn. Lpzg. 1825.
- 2) F. Baconis de Verulamio de augm. scient. Lib. IX, 1585.
- 3) I. C. Reit: Entwurf einer allg. Therapie. Halle 1816 Cap. XV.
- 4) Scheidhauer: diss. de cura moribundis adhibenda. Leipzig 1831.
- 5) W. G. Plouquet: Pathologie mit allg. Heilkunde in Verbindung gesetzt. Tübingen 1798.
- 6) C. W. Hufeland: Ueber die Ungewissheit des Todes. Weimar 1791.
- 7) C. A. W. Berends: Vorles. über pract. Arzneiwiss. 2. Aufl. v. I. C. Albers. Berlin 1835.
- 8) N. Parady: Rede: was die Arzneiwiss. vermag, den Tod leicht und schmerzlos zu machen. In Baldinger's: neues Archiv für Aerzte. Bd. XVIII 1796.
- 9) F. Hoffmanni op. omnia physico-medica Tom V.
- 10) L. A. Goëlis: pract. Abhandl. über die Krankh. d. kindl. Alters. Wien 1820. Band I.
- 11) I. B. Morgagni nova instit. med. idea. Lpzg. 1773.
- 12) Ludwig: adversaria med. practica Vol. III. p. I. Lpzg. 1772.
- 13) G. G. Richter's prolusio de morte sine morbo in G. G. Richter's opusc. med. Vol. III 1781.
- 14) Stahl: theoria medica II.
- 15) K. F. Burdach: Die Physiologie als

Erfahrungswiss. Lpzg. 1830. III. Band. 16) C. Himly: *Comm. mortis historiam, causas et signa sistens*. Götting. 1794. 17) X. Bichat: *Recherches physiologiques sur la vie et la mort etc.* Paris 1822. 18) F. A. B. Puchelt: *das Syst. der Medicin im Umriss dargestellt*. Heidelberg 1826 Th. I. 19) *Celsi de medicina libri VIII* ed. Krause. Leipzig 1766. 20) M. T. Ciceronis *Cato major*. Cap XX. 21) *Aretaei Capadocis op.* ed. Kuehn. Leipzig 1828. *De curat. acut. morb. lib. II. cap. V.* 22) C. W. Hufeland: *vom Rechte des Arztes über Leben und Tod*. Journ. der pract. Heilkunde v. Hufeland und Osann. Jahrg. 1823. 23) Klohss: *Ueber Euthanasie etc.* In Hufeland und Osann Journ. der practisch. Heilkunde. Jahrgang 1832. St. 1. 24) K. F. H. Marx: *Ueber Euthanasie*; in Heckers litter. Annal. der ges. Heilkunde. 1827, Febr. 25) S. G. Vogel: *allg. med. diagn. Untersuchungen etc.* II. Th. Stendal 1831, Cap III *Von der Euthanasie*. 26) Pieper: *Die Kinderpraxis in dem Findelhause und in dem Hospitale für kranke Kinder in Paris*. Gött. 1831. 27) I. F. Oslander: *Volksarzneimittel*. Tübing. 1829. 28) M. T. Ciceronis *epist. ad. Attic.* Lib. IX. cap. 10. 29) *Cl. Galeni op.* ed. Kuehn. Leipzig 1828. Tom. XVII. pars I. *Galeni comm. II.* in Hippocr. Lib. VI. *epidem. cap. 47.* 30) G. G. Richter: *prolusio contra mendaciorum immunitatem*. 31) L. Lebrecht: *Der Arzt im Verhältnisse zur Natur, zur Menschheit und zur Kunst*. Mainz 1821. 32) G. G. Richter: *prol. de medico morientis adsp. magis quam mortui fugiente*. 33) C. Sprengel *institut. ther. gener. Sect. IV.* 34) *Plinii Nat. hist. Lib VII, Cap 52.* 35) I. P. Frank: *System einer vollst. med. Polizei*. Wien 1790. Tom IV. 36) F. Kessler: *diss. de euthanasia medica*. Berlin 1828. 37) M. I. Chelius: *Handb. der Chirurgie*. Wien 1833. 38) P. F. W. Vogt: *Lehrb. der Pharmacodynamik*. Giesesen 1832. 39) L. Beschuetz: *diss. de euthanasia medica*. Berlin 1832.

T H E S E S.

I. *Medici est, mortem, quam impedire haud potuerit, certe reddere mitiorem.* — II. *Educatio ab excolendo corpore incipere debet.* — III. *Sectioni forensi juris consultus adsit haud necesse est.* — IV. *Sunt inter arterias et venas vasa capillaria.* — V. *Circulatio sanguinis ex cordis actione pendet.* — VI. *Ad vomitum ventriculus plurimum confert.* — VII. *Venaesectio in morbis inflammatoriis remedium roborans.* — VIII. *Ad aperendum uterum culter digitis praefertendus.*